

illam *fidelitatis* notam, sejungit a *fide*, ille persuasio-  
nem vanissimæ mentis Epicuream de Dei gratia, in  
merito Christi fundata, habet pro *fide*, imaginatio-  
nis suæ chimæra deceptus: quemadmodum e con-  
trario is, qui fidem a contritione sejungit, in cassum  
laborat, suam de salute sollicitudinem, si non in de-  
sperationis, tamen in propriorum meritorum mate-  
riam, quam infelicissime extruens. Cui extremo  
utrique in conversione necessarium illud *fidei* ac *fi-  
delitatis* temperamentum medetur.

PROPOSITIO QUARTA

De constituti æquilibrii applicatione, seu actu primo  
in justificatione.

In justificatione homo conversus  
per *fidem* ita accedit ad thronum  
gratiæ, ut Christi justitiam, quam  
ipsi Deus ad peccatorum remissio-  
nem imputat, sibi quam avidissime  
applicet: ratione *fidelitatis* si non  
eodem actu, eodem tamen tempore,  
ab actu isto inseparabili, se Christo in  
solidum consecrat.

ILLUSTRATIO.

II. Justificatio quidem ratione temporis a conversione  
non differt, siquidem eo ipso conversionis actu, quo

B 3

in